Diligo ſincerum, clariſsime Doctor, Amorem, — 116
Nobile quo Verum diligis atq; colis,

[illegible]

Reſponde Studiis, Doctor. Amice tuis.
Cœlitus inſtructum, te ſentis? Αὐτοδίδακτος
Es? quid in orbe lates? Fontis ad inſtar Aquas

et feliciter.

JOH. RODOLFUS WETSTENIUS
SS. THEOL. DOCTOR, NOV. TESTAM. PROFESSOR, PROMOTOR RITE DESIGNATUS,
PIIS & BENEVOLIS LECTORIBUS

Gratiam & Pacem à Jesu Christo Servatore noſtro!

SIMON PETRUS, *Apoſtolorum Princeps* antiquis Eccleſiæ Patribus dictus, cùm Domino Jesu Magiſtro ſuos Diſcipulos interroganti, *Quem Se dicerent?* tàm ſuo, quàm Condiſcipulorum nomine reſpondiſſet, Σὺ εἶ ὁ ΧΡΙΣΤΟΣ, ὁ ΥΙΟΣ ΤΟΥ ΘΕΟΥ ΤΟΥ ΖΩΝΤΟΣ: *Tu es* Christus *ille*, *FILIUS DEI* Viventis: legitur, mox Jesum inſigni elogio hanc eorum Confeſſionem approbâſſe, laudâſſe, confirmâſſe: (Matth. XVI, 15-18.) Simonem quidem *Beatum* prædicando, cui Pater Cœleſtis Myſterium illud tàm promptè ſuggeſſerit, ut cæteros Symmyſtas ſuos expedito eloquio anteverteret. quô meritò is *novum Nomen* Petri, vel tunc adeptus fuit à Domino, vel jam antè (Joh. I. 43.) primâ Vocatione acceptum, confirmatum retulit; Laudis & Honoris perpetuo monumento. Sed præſertim maximi momenti *Promiſſionem* Dominus addidit, quâ Salutem ac *Vitam æternam* ECCLESIAE *ſuæ*, h. e. omnibus credentibus illidem Apoſtolorum Confeſſioni, dedicavit. his verbis: Καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ Πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν Ἐκκλησίαν. καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. i. e. *Et ſuper hac Petra ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferni non prævalebunt illi.* Mirum, quid hîc in mentem venerit iis, qui ex Petra, Fundamento Eccleſiæ Chriſtianæ, ipſo (inquam) Christo (1. Cor. X. 4.) Filio *illo* Dei *Viventis*, facere conati ſunt Hominem *Mortalis hominis filium*, Simonem Bar Jona: cùm iſte non ſolùm aliâs *non ſaperet quæ* Dei ſunt, *ſed quæ vulgus hominum*: verùm & Christo ipſi *Satanas* (Adverſarius) & *Scandalum* evaderet: inſuper, triplici Magiſtrum & Servatorem negatione dehoneſtaret, tandem volens-*nolens* ad martyrii patibulum raptus. (Joh. XXI, 18.) Jam dudum id S. Paulus Apoſtolus firmum & fixum dederat, *Fundamentum aliud, præter illud quod poſitum eſt, neminem poſſe ponere, quod eſt* Jesus Christus: (1. Cor. III. 11.) *Super quo cuncti Domeſtici* Dei *ædificati* ſint: (Eph. II, 19. 20.) Cujus rei evidens demonſtratio; quòd *Portæ inferorum non prævalebunt illi.* Petræ an *Eccleſiæ?* Neutri verò. nam *Promiſſiones*, in fidem & ſolatium quidem *Eccleſiæ* proponuntur, at *in* Jesu Christo *ſunt Etjam & Amen*: (2. Cor. I. 20.) Quid autem promittat Dominus, non-nullis obſcurant *Portæ inferni*. Facilis lapſus, cùm ᾅδης ſit *ſine luce Domus*, ſolis mortuis nota: (Job. X. fin.) *Portæ* autem *inferorum & mortis*, Prophetis, Sacris & Profanis Scriptorib. ſignificant *Viam* ad eam, quæ ampliter ac variè patet ingredientibus; ſed & *Munimenta*, exitum illius anguſtè prohibentia. Eſt certè *Mors* totius humani generis *extremus Hoſtis*; omni- [illegible] tur huic Petræ inædificantur, experiuntur Veritatem effatorum Christi: *Qui credit in Me, non peribit, ſed ſervabitur*: vel, *non morietur in æternum, ſed habebit Vitam æternam.* In quibus totum Evangelium conſummatur. Hinc nobis Axioma: Jesu Christo [illegible]

Diligo ſincerum, clariſsime Doctor, Amorem,
Nobile quo Verum diligis atq colis,
[illegible]

193 116

Portæ inferni. [illegible] lapis, cum [illegible] sit *ſine luce Domus*, ſolis mortuis nota: (Job. X. hn.) *Portæ* autem *inferorum & mortis*, Prophetis, Sacris & Profanis Scriptorib. ſignificant *Viam* ad eam, quæ ampliter ac variè patet ingredientibus; ſed & *Munimenta*, exitum illius anguſtè prohibentia. Eſt certè *Mors* totius humani generis *extremus Hoſtis*; omni- [illegible] *æterna*, Mortis vincula tam facile ſolvit, quam Lux [illegible] tur huic PETRÆ *inædificantur*, experiuntur Veritatem effatorum CHRISTI: *Qui credit in Me, non peribit, ſed ſervabitur*: vel, *non morietur in æternum, ſed habebit Vitam æternam.* In quibus totum Evangelium conſummatur. Hinc nobis Axioma: JESU CHRISTO, Eccleſiæ ſuæ PETRA conſtante, nulla *Mortis poteſtas* illam ſuperabit unquam.

Utut ergo res triſtis & lachrymabilis ſit, Eccleſiæ DEI Miniſtros egregios, & ad inſtar *Luminarium Mundi* in illius Domo ſplendentes, extingui & Mortem obire: *Spes* tamen, ceu firma Salutis anchora, & *Fides* in FILIUM DEI *Viventis*, conſtanter retinenda eſt: quin humili mente, & erecto capite, *Levandi oculi noſtri ad Montes*, ad *Montem* altiorem omnibus montibus, ad *PETRAM* illam ſolidam & inconcuſſam, *unde venit auxilium noſtrum*. Quandiu DOMINUS noſter Paſtores Paſtoribus, Doctores Doctoribus ſurrogat; tandiu Idem, ut *Petra*, perſtare; ſibique ſuperædificatam Eccleſiam portare ac ſuſtinere ſe demonſtrat. Quoties id nobis obtingit, fatendum cum Propheta: *Miſericordiæ* DOMINI, *quòd non ſumus conſumpti: quòd non defecerunt Miſerationes ipſius: Novæ ſunt ſingulis matutinis, &c.*

VENITE proin Academiæ hujus Proceres, Fautores, Cives, Amici: omnes Timentes DEUM, Venite *in Domum* JEHOVÆ, *ad celebrandum Nomen* JEHOVÆ: nam & noſtra JERUSALEM (Eccleſia & Schola S.) *ædificatur, ut Civitas, quæ conjuncta eſt ſibi unà*, omnibus ejus partibus (DEI Gratiâ) redintegratis. Solus Ordo Theologicus ſupereſt, Veſtramque poſcit opem. Nôſtis, ad *Locor. Commun. & Controverſ. ſacrarum* Profeſſionem nuper legitimè vocatum Virum Reverendum & Clariſſimum DN. M. PETRUM WERENFELSIUM, Eccleſiæ Baſilienſis Paſtorem atque Antiſtitem digniſſimum. Quid laudis, proferremus amplius? Majorum merita, in Eccleſia, in Rep. liter.? At præter ea habet ipſe, Vitam inculpatam, domi foriſque actam, ut Principum etiam encomia & affectum, Bonorum omnium Amorem, mereretur: Eruditionem in Linguis Orient. & Occident. Tribus inprimis ſacris; in Artib. Philoſoph. ad ſupremum uſq; Gradum: Doctrinam Theologiæ Theor. & Pract. complurium annorum Exercitationibus tàm privatim quàm publicè probatam: ac noviſſimè præliminaribus Gradûs Doctoralis Speciminibus Prælectionum & Diſputationis palàm omnibus, cum Potentiâ Spiritûs, luculentiſſimè demonſtratam.

PROMOVETE, quæſumus, opus DOMINI, ſimul & S. Theologiæ conſecraneorum ſtudia: ideoque INAUGURALEM ACTUM, quô, BENEDICENTE JESU CHRISTO, in Ordinem DOCTORUM THEOLOGORUM, prædictus Dn. Candidatus, piis & religioſis Majorum Ritubus ſolemniter recipietur; magnificâ, venerabili & honorificâ Veſtrâ præſentiâ, D. III. NON. OCTOBR. Horis & Loco ſolitis, celebrate, condecorate: Vota OPT. MAX. facturi nobiſcum, ut *Eccleſia* CHRISTI, PETRÆ illius æternum CONSTANTIS, turbulentiſſimis iſtis temporibus immota perſtet, contra omnes Sathanæ fraudes & inſultus: Ipſiuſq; *Robur invictum* præſertim noſtra experiatur: & ad hujus ſtabilimentum & incrementum plurimùm conferant Honores & Labores Dn. Candidati noſtri; cui ex alto Benedictionem largiſſimè diutiſſimeq; affundat FILIUS *ille* DEI *Viventis*, PETRA *Salutis!*

GRATIA DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI SIT NOBISCUM OMNIBUS: AMEN.

THEMA Reverendi & Clariſſ. DN. CANDIDATI in Panegyri diſſerendum:
De variis Pontificiorum Doctorum Modis & Methodis convertendi (ut ajunt) Acatholicos, ſeu veriùs, variis technis & μεθοδείαις pervertendi, & ad Romanam communionem retrahendi verè-Catholicos.

Magnifico ACAD. RECTORE, DN. D. JOH. CASPARO BAUHINO, Med. Pract. Celeberrimo.
Spectab. Facult. Theol. DECANO, DN. D. JOHANNE ZUINGERO, Vet. Teſt. Prof. deſignato.

BASILEÆ, Typis JACOBI WERENFELSII, Anno Chr. cIɔ.Iɔc. LXXV.

Reſponde Studiis, Doctor. Amice tuis.
Cœlitus inſtructum, te ſentis? Θεοδίδακτος
Es? quid in orbe lates? Fontis ad inſtar Aquas
[illegible] et ſibi citer.

115